Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36525
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

circuit querens quem deuoret, cui resistite fortes
in fide. scientes eandem passionem ei que in mundo est
uestre fraternitati fieri. Deus autem omnis gratie qui uocauit nos
in eternam suam gloriam in christo ihesu modicum passos ipse
perficiet confirmabit solidabitque. Ipsi gloria et imperium.
in secula seculorum amen. Per siluanum fidelem fratrem uobis ut arbi
tror breuiter scripsi. obsecrans et contestans hanc esse
ueram gratiam dei in qua statis. Salutat uos que est in
babilone ecclesia. et marcus filius meus. salutate inui
cem in osculo sancto. gratia uobis omnibus qui estis in christo
ihesu. Explicit epistola petri apostoli prima.

Incipit prologus.

Simon petrus per fidem huic
mundo sapientes mortuos esse declarat. eisdemque
pietatis quantitas sit magnitudo luce ipsa clarius manifestat.

Incipit epistola eiusdem Secunda. I.

Simon petrus seruus et apostolus ihesu christi. his qui coequa
lem nobis sortiti sunt fidem in iustitia dei nostri. et saluato
ris ihesu christi. gratia uobis et pax adimpleatur in agnitio
ne domini nostri. quomodo omnia nobis diuine uirtutis sue
que ad uitam et pietatem donata sunt per cognitionem eius
qui uocauit nos in propria gloria et uirtute. per quem
maxima et preciosa nobis promissa donauit. ut per hec
efficiamini diuine consortes nature. fugientes eius que
in mundo est concupiscentie corruptionem.
Vos autem curam omnem subinferentes. ministrate
in fide uestra uirtutem. in uirtute autem scientiam. in scien
tia autem abstinentiam. in abstinentia autem patientiam.
in patientia autem pietatem. in pietate autem amorem fraternitatis.
in amore autem fraternitatis caritatem. hec enim uobis cum assint
et superent. non uacuos uos et sine fructu constituent.